

atruhi. Quæ duo successiue demonstrat. **A** in hac Natiuitate prodit mysteria. *Ibidem col. 741.*
V. Non solum hæc duo, sed alia quoque virtutum verbi insignia doceri in incarnatione tradit, sapientiam, charitatem, misericordiam, magnificentiam, pietatem & alia. **VI.** Hortatur vt exemplo Prophetæ, hæc ruminare, sentire, eloqui & laudare concupiscamus. *à fol. 24. col. 1. vsque ad fol. 26. col. 2.*

Eiusdem sermo 4. ad hæc verba: *Paruulus datus est nobis &c. isaia 9.* In eo hortatur ad spiritualem lætitiã: cuius tres causas proponit; quia paruulus hic est Angelorum reparator: Hominum redemptor; totius creaturæ innouator. **II.** Si ita est. cur ergo solis hominibus eius natiuitas imputatur. Et quid præstiterit Christus hominibus, amore Virginis beate victus, varijs locis scripturæ & figuris explicat. **III.** Ad eum accedendum esse mente pura hortatur. Et fiducia argumeta sumit, quod inter iumenta nascitur, quod paruulus natus sit; quod idem filius Dei, verbum sit. **IV.** Ostendit & explicat quomodo filius verbum sit Patris. Ad quod explanat verba psalmistæ psal. 44. *Eructauit cor meum verbum bonum &c.* **V.** quod de hoc verbo dixit Ioan. cap. 1. Examinat. *In principio erat Verbum. &c.* **VI.** Ponderat tantum verbum, carnem factum esse: quod Philosophi ignorauerunt. Ex quo summam in nos dignationem Dei colligit, & vrget ex beneficijs inde præsertim in hominem emanantibus. *à fol. 26. col. 2. vsque ad fol. 32. col. 4.*

S. ZENONIS VERONENSIS sermo primus de Natiuitate Christi, Verbi incarnati Diuinitatem, Natiuitatemque æternam, & temporalem aduersus hæreticos probat, & (vt ipse loquitur) vno icu omnes nervos argumentationis illorum abscindit. Postremo docet Verbum ita factum esse quod non erat, vt non desierit esse, quod ante fuerat. *Tom. 2. Bibliothec. Patrum, col. 739. & sequentibus.*

Eiusdem sermo secundus, Christi duas esse Natiuitates docet, vnã quã non licet examinare sed credere: alterã quã legitimè possumus contemplari: denique miranda Matris, & filij

Eiusdem sermo tertius, Natiuitatis hodiernæ quãdam circumstantias piè ac deuotè explicat, & Christum soli totius lucis fonti paucis assimilat. *Ibidem col. 742.*

FESTVM S. STEPHANI

Protomartyris.

*** B. ALBERTI MAGNI** sermo, ad ea verba: *Ecce video celos apertos, &c. Act. 7.* Et considerat 1. eum qui loquitur esse Stephanum; quod est, Regula, vel, Corona. Vt notetur nos coronandos si secundum regulam doctrinæ Iesu vixerimus: quæ regula est duplex, dilectio Dei & proximi. **II.** Celos apertos significare nouem ordines electorum, quos accommodat nouem cælis materialibus, & ostendit S. Stephanum in omnem illam sanctitatem introisse. Ad quam & hortatur nos. **III.** Vno verbo docet cur Stephanus Iesum stantem viderit. *Tom. 12. serm. 4. de Sanctis, à pag. 159. col. 1. ad 162. col. 1.*

S. AVGVSTINI sermo primus hæc die habitus. Natiuitatis Christi effectum in primicerio martyrum Stephanus, ostendit; eiusdem protomartyris virtutes celebrat; præsertim autem ipsius erga inimicos dilectionem; denique orationis eius pro persecutoribus efficaciam in Sauli conuersione demonstrat. *Tom. 10. serm. 1. de sanct. fol. 255. col. 1. & sequens.*

Eiusdem, sermo secundus, **S. Stephani** vestigia Christi insequentis, pro lapidantibus deprecantis, in Iesu inimicos lænentis, suos autem diligentis, ac pro ipsis flexis genibus supplicantis, merita prædicantur, & ad ipsius imitationem cohortatur. *Ibidem col. 3. 4. serm. 2. de SS.*

Eiusdem, sermo tertius, tria docet nimirum. **B. Stephanum** Christi honorem quæsisse, non suum: Pastoris sui vestigia fuisse insequentum: adificationem auditoris coronam esse con-